

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 4: De aliis virtutibus

### Caput 9: De correctione fraterna (2)

Unde Augustinus:

Mundus esse debet, qui aliena corrigit.

Quomodo enim videt maculam in alieno oculo,  
quem pulvis gravat in suo?  
Vel quomodo absterget sordes manus, que lutum tenet?

**Quare detraxistis etc.**

Mundus esse debet. qui aliena corrigit.

quomodo enim videt maculam in alio oculus  
quem puluis grauat?  
vel quomodo tergit sordes manus quae lutum tenet?

*Glossa ordinaria, liber Iob, 6* (Biblia Latina  
cum glossa ordinaria, A. Rusch ed., Strassburg, 1480).

Mundus in se esse a uitiis debet qui curat aliena corrigere,  
ut terrena non cogitet, ut desideriis infimis non succumbat;  
quatenus tanto perspicacius aliis fugienda uideat,  
quanto haec ipse per scientiam et uitam uerius declinat,  
quia nequaquam pure maculam in membro considerat oculus  
quem puluis grauat  
et superiectas sordes tergere non ualent manus quae lutum tenent.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 7.36 (CCSL 143,  
M. Adriaen ed., p.377, ll.2-9).